

Ad Hebræos

G possit omnibus pontificibus veteris testamenti, & ita paulatim accedat hoc ad ostendendum, quod carnales observationes cessare debeant per translationē sacerdotij. Et prius exponit quis ordo præcesserit in Melchisedec, & quomodo iuxta ordinem eius Christus sit factus pontifex in æternum: ut exposito & commendato ordine Melchisedec, appareat quā dignum sit sacerdotium Christi, quod tam magnum est, ut sacerdotiū Melchisedec illud præmonstrauerit non sicut æquale, sed sicut umbra. dum enim magna umbra præcessisse ostenditur, patet satis quod magna veritas corporis sequatur. Quasi dicat: Recte pōtificium Christi cōparo ordini Melchisedec, quia [hic Melchisedec] fuit [rex Salem.] Salem autem nō (ut Iosephus & plurimi nostrorum arbitrantur) credamus esse Ierusalem, sed oppidum iuxta Scythopolim, quod vsq; hodie appellatur Salem, & ostenditur ibi palatium Melchisedec, ex magnitudine ruinarū veterem ostendens magnificentiam, de quo & posterius in Genesi dicitur: Venit Iacob in Socoth, & transiit in Salem ciuitatē regionis Sichem. Nam & Abraz reuerenti à cæde hostium, quos persequutus est vsque Dan, quæ nunc Paneas appellatur, non Ierusalem, sed oppidum metropoleos Sichem in itinere fuit, de quo & in euangelio legimus: Erat autem Iohannes baptizans in Ennon iuxta Salem. Cuius vrbs rex fuit Melchisedec, fuit & sacerdos, [ut & regnū & sacerdotiū Christi præfiguraret, qui & nos fecit esse genus regale & sacerdotale. Sacerdos fuit, non idolorū, sed dei: quia licet esset gentilis, & non de genere Iudæorum, tamen erat sacerdos dei, non Iouis aut Apollinis, sed potius [summī dei] omnīū creatoris, qui est super omnia. & Christus est sacerdos dei patris, qui hostiā sui corporis & sanguinis semel obtulit in cruce, sicut & Melchisedec panem & vinū legitur obtulisse. Ille dico, [qui obuiavit,] id est, obuius processit. Abraz regresso à cæde regum,] quando fuit maioris dignitatis habitus apud homines, id est, in ipso triumpho, cūm regrederetur non à fuga, sed à cæde, non vnus, sed multorum regum. hinc enim magna dignitas Melchisedec ostenditur quem Abraz, peregrinus in illa terra tantæ dignitatis intellexit, ut dignum iudicaret ad illum qui rex & sacerdos erat accedere, & de omnibus spoliis decimas illi dare, ac prius ad illū à quo benedictionē accepturus erat, quam ad domum suā declinaret. Cui triumphatori non solum obuiavit Melchisedec, sed & benedictionem dedit. [Abraz] verò accepta benedictione, [diuisit] illi [decimas omnium] quæ secum adduxerat à cæde regum. Per Lot, qui amissis bonis in captiuitate ductus est, designatur anima vitiōrū pondere per quinque sensus corporis incuruata, & domino aduersarij potestatis mācipata. Cuius vincula nititur Abraz soluere, cūm ratio captiuitatem animæ recognoscēs, armat se scuto fidei & gladii spei ac gladio verbi dei: & assumpta virtutum quali vernaculorum caterua, cuneos vitiōrum viriliter aggreditur: & tam diu pugnat, donec super-

ratis hostibus animā liberet. Peremptis regibus, Abraz reducens Lot, gaudens redit ad propria, inueniens Melchisedec in itinere sibi obuiantem, & sacros cibos offerentem ac benedicentem: quoniam extinctis vitiis, rationalis vigor animam liberatā reducere festinat ad paradisi gaudia & ad domū cælestis patriæ: sed priusquā illuc perueniat, verum regem & sacerdotem Christū reperit obuium & offerentem sibi cibum & potum corporis & sanguinis sui, ac benedictionem cælestis gratiæ, id est, incrementum virtutū tribuentem. Occurrit enim lætus victoribus vitiōrū, ut excipiat eos & sacris alimentis reficiat: & benedicat eos, id est, promouet & multiplicat in virtutibus, & augmentat donis spiritualibus. Nec nisi victor quicquam cibos eius debet accipere, quia nullus ut ad eucharistiam accedat, debet præsumere, nisi prius reges cōtra quos pugnat, deuicerit, id est, vitia quæ regnauerunt in se, domino adiuuante, superauerit. alioquin iudicium sibi manducat & bibit. Abraz autem decimas omnium quæ hostibus abstulerat, dedit sacerdoti Melchisedec. Sic & vnusquisque fidelis post victoriam suā pugne gaudens Christo decimas offert, id est, omnium bonorum operum suorum perfectionem & virtutum consummationem diuinæ gratiæ adscribit. Si quid autem imperfectum & minus idoneum in se viderit, hoc sibi retinet, id est, sibi deputat. Denarius enim, vltra quem non progreditur numerus, sed replicatur, perfectionem designat, sicut & nouem partes quas Abraz sibi retinuit, imperfectionē demonstrant. Quicquid enim primū & optimum est ac perfectum, designatur per denarium, in quo prius consummatur numerus. Et omne quod præcipuū est in nobis atque perfectū, deo attribuendum est: quicquid verò imperfectum, nobis est adscribendum. Primum quidem &c. Notat Apostolus ipsa verba, ut ostendat omnia ista in Christo esse eo ordine, quo præcesserunt in Melchisedec. [Qui primum quidem interpretatur rex iustitiæ,] sed [deinde] etiam [rex Salem, quod est rex pacis. Quod Christo bene congruit, qui pacificat quæ in cælis & quæ in terra sunt, & qui suos per iustitiam regit inter procillas seculi, ac in eorum iustis conuersationibus regnat, & post in æterna pace non desistit eos regere & in ipsis regnare. Primum enim Melchisedec nobis est, deinde rex Salem: quia prius regit nos in iustitia, post reget in pace. Primo regnum iustitiæ nunc in nobis assequitur, & deinde post hanc vitam regnum pacis in nobis æternaliter quietū possidebit. Melchisedec dico, [sine patre, sine matre.] Non quod absque patre & matre fuerit, cūm Christus quoque secundum vtranque naturam & patrem habuerit & matrem, sed quod subito introducatur in Genesi occurrisse Abraz reuerenti à cæde hostium, & nec antè nec postea nomen eius feratur adscriptum. Vnde & [sine genealogia] dicitur esse, cūm fortassis uxorem & filios habuerit, & nec initium, nec finem habuisset, cūm sine dubio & initium per natiuitatē habuerit, & per obitū finem. His enim omnibus carere dicitur,

Lib. 1. A. n. tiquit. cap. 18.

H

Gene. 33.

Iohan. 1.

1. Pet. 2.

Iohan. 19.

Gene. 14.

Iocus obm. scurus.

L

1. Cor. 11.

Colof. 1.

M

Gene. 14.